

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

XXXVI.

LOTHARII II. IMP. DIPLOMA PRO MONASTERIO INTERLACENSI IN BURGUNDIA TRANSJURANA.

ANNO MCXXXIII.

In nomine Sanctæ & individuæ trinitatis Lotharius divina favente Clementia tertius Romanorum Imp. Augustus.

Imperiali convenit Excellentiæ illorum petitioni maxime concedere, qui pauperem vitam eligentes religionis cultui operam dant, pauperibus Christi idcirco sua conferentes, ut per bona temporalia sibi mercentur cœlestia, quorum piæ intentioni cooperatores esse volentes, tam futuris quam præsentibus notificamus. Qualiter nos instinctu dilectæ nostre Richinze Imperatricis, suggerentibus etiam curie nostre primatibus, Ecclesiam S. Marie virginis sitam in Laufannensi Episcopatu, in comitatu Burgundiæ (a) Interlacus *Madon* vulgariter nominatam sub nostræ tuitionis Mundiburdium suscepimus, susceptæque nostra Autoritate hanc contulimus libertatem, ut ab omni investitura & exactione immunis, soli Deo quiete & libere serviens, domum orationis se solummodo esse recognoscat. Hujus autem domus fundator Seilgerus de

(a) Burgundia Transjurana sensu plane singulari Comitatus Burgundiæ hic dicitur.

Oberhoven cum cœteris boni propositi cooperaroribus existens: Canonicam ibidem vitam secundum regulam S. Augustini instituit, rogans eam dedicari in honorem matris domini & omnium Sanctorum. Volentes itaque ratum esse bone inchoationis propositum, præcipiendo jubemus ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, nulla denique magna parvave persona, prenominate Ecclesie fratres, vel res eorum divestire, molestare, inquietare presumat; Preterea decernimus Petitioni jam dicti Seilgeri fundatori prefate Ecclesie concedere, ut sicut confratres ibidem Deo servientes, sicut liberam de constituendo sibi preposito habent electionem, ita etiam advocatum quem voluerint, eo pacto & jure assumant, ne advocatia ad heredes advocati traducatur, & tali electione a preposito investitus, a rege etiam, sicut justitia exigat, regali banno investigetur, ita tamen ut penitus ea careat, si eis malum aliquod ab eo illatum infra terminum 40. dierum secundum voluntatem eorum & *Reffloris Burgundiorum* non fuerit emendatum. Si quis autem hujus nostre confirmationis, quod non opinamur, violator extiterit, centum libras auri, medietatem Camere nostre, & medietatem prefate Ecclesie fratribus componat. Huic etiam confirmationi idoneum adhibuimus Testimonium Archiepiscoporum, Bifuntini Anserici; Horberti Magdeburgensis; Episcoporum Argentinensis Gebehardi; Constantiensis Udalrici; Chunradi Curiensis; Anselmi Havelbergensis; Abbatum etiam Ludovici Augensis; Berchtoldi Morbacensis; Ducum quoque *Conradi de Zuringin*; Simonis de Lothringia; Comitum Friderici de Phirida; Friderici de Zolra; Udelhardi Hupoldi de Loupa; Preterea multi de equestri Ordine. Udalrici de Thuno, & fratris sui Warnheri; Udalrici de Erlibach, Constantini fratris suis Egelolfi de

Stevensburg; Adelberti de Hurnefeildon. Quod ut verius credatur, sigilli nostri impressione presentis decreti paginam iussimus insigniri.

Signum Domini Lotharii Romanorum
Imperatoris invictissimi. (Locus Monogrammaticis.)

Data Anno incarnationis Domini Millesimo centesimo trigesimo tertio, VI. Idus Novembris, Indictione XI.

Anno vero regni regis Lotharii VIII. Imperii vero primo.

Actum Basileæ feliciter, Amen.



XXXVII.

HERMANNUS MARCHIO PRÆDIUM SUUM IN HUNINGEN ECCLESIAE S. PANCRATHI IN BAGGENANC DONO TRADIT.

ANNO MCXXXIV.

Ex Gamsiano Mspt.

Notum sit omnibus tam modernis quam posteris, qualiter *Marchio Hermannus* ex consensu *Berthæ* contectalis suæ prædium suum in Pago *Huningen* situm in Comitatu Adelberti, quod jure hereditario possederat, Ecclesiae S. Pancrathii in *Baggenanc* fratribusque inibi Christo secundum regulam S. Augustini servientibus pro remedio animæ suæ &